

non residentibus num. 39. personalem visitationem Prælatorum esse de jure Divino.

Hinc concluditur, nulla consuetudine, nullo privilegio Episcopum impediri posse à visitatione, quæ exigitur, ut Animas sibi commissas regere ac dirigere possit.

II. Hoc titulus Episcopus excludi nequit à visitatione Ecclesiarum quibus cura Animarum personarum secularium, quæ Episcoporum curæ sunt concredita, annexa est; saltem quoad ea quæ curam illam concernunt. Si enim ab hac visitatione excluderetur, curam Animarum sibi commissarum debitam habere non posset.

III. Unde Synodus Tridentina Sess. 7. cap. 7. De reformat. declaravit: "Beneficia Ecclesiastica curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis aut piis locis quibuscumque perpetuo unita & annexa reperuntur, ab Ordinariis locorum, annis singulis visitentur."

IV. Et ne Ecclesiarum exemptio hanc necessariam visitationem impediret, cap. 8. ulterius declaravit: "Locorum, ordinarii Ecclesias quascumque, quomodolibet exemptas, auctoritate Apostolica, singulis annis visitare teneantur, & oportunitatis remediis providere, ut, quæ reparatione indigent, reparentur; & cura animarum, si quæ illis imminet, aliisque debitis obsequiis minimè defraudentur: appellationibus, privilegiis, consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore præscriptis, iudicium deputationibus, & illorum inhibitionibus penitus exclusis."

V. Ulterius cum titulo commendationis, prætenderentur Beneficia etiam curata à visitatione Episcopi libera, statuit Synodus Sess. 21. cap. 8. De reformat. "Quæcumque in Diocesi ad Dei cultum spectant, ab Ordinario diligenter curari, atque ubi oportet, provideri æquum est; propter commendata monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præposituræ nuncupata, in quibus non viget regularis observantia; nec non Beneficia tam curata, quam non curata, secularia, & Regularia, qualitercumque commenda, etiam exempta ab Episcopis, etiam tanquam Apostolica Sedis delegatis, annis singulis visitentur; curentque idem Episcopi congruentibus remediis, etiam per sequestrationem fructuum, ut quæ renovatione indigent, aut restauratione, reficiantur: & cura animarum, si qualis vel eorum annexis imminet, aliaque debita obsequia rectè exerceantur; appellationibus quibuscumque, privilegiis, consuetudinibus, etiam immemorabili tempore præscriptis, consuetudinibus, iudicium deputationibus, & eorum inhibitionibus non obstantibus."

Cum verò nonnulli contra mentem Synodi prætenderent hoc Decretum non pertinere ad Ecclesias nullius Diocesis (de quibus sub titulo de exemptionibus agitur) Synodus novo edito Decreto mentem suam clarius expressit Sess. 21. cap. 9. De reformat. "Quæ aliis sub fel. rec. Paulo III. & nuper sub Beatissimo Domino nostro Pio IV. in hoc eodem Concilio de adhibenda ab Ordinariis diligentia in beneficiis, etiam exemptorum, visitatione constituta sunt; eadem etiam in iis Ecclesiis secularibus observentur, quæ in nullius Diocesi esse dicuntur; ut ab Episcopo, cuius Cathedralis Ecclesia est proximior, si id constet, alioquin ab eo qui semel in Concilio provinciali à Prælato loci illius electus fuerit, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, visitentur non obstantibus privilegiis & consuetudinibus quibuscumque, etiam immemorabilibus."

VI. Quandoquidem non minus Episcopo cura populi incumbat; ejusque salutis ac directionis æque in vigilare debeat, five Regularis five secularis tanquam inferiores Ministri ipsi in cura Animarum assistant, ac curam populi agant, merito Synodus Tridentina Sess. 25. cap. 11. De Regularibus edixit: "In Monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus immixta animarum cura personarum secularium, præter eas quæ sunt de illorum Monasteriorum seu locorum familia, personarum, tam regulares quam secularis, hu-

hujusmodi curam exercentes, subint immediatè in iis quæ ad dictam curam & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi in cuius Diocesi sunt sita."

VII. Et quidem declaravit Pius V. die 4. Sept. 1570. ab hoc nullas Ecclesias, quibus cura animarum personarum secularium annexa, excipi; tamen si etiam essent sitæ in Monasteriis quorum Præpositi haberent utramque jurisdictionem temporalem & spirituales; idemque Sacram Congregationem declarasse 7. Aprilis 1592. notatur in Declarationibus ad citatum Cap. 11.

VIII. Confortiter ad citatum Synodi Decretum anno 1629. edito Ludovici XIII. Regis Galliarum declaratum fuit, "Beneficia Curata, Ecclesias, Capellas dependentes ab Ordine S. Joannis Hierosolymitani fore subiectas visitationi & correctioni Ordinariarum in his quæ concernunt correctionem abusu, qui committuntur in administratione Sacramentorum tam Matrimonii, quam aliorum; celebrationem Divini officii & residentiarum, salvis Ordinibus Privilegiis in reliquis."

IX. Hinc Episcopus Abrincensis per sententiam magni Concilii Parisiensis fuit manentis in jure visitandi Ecclesiam Parochialem Montis S. Michaelis dependentem à Monasterio ejusdem loci, spectantemque ad collationem pleno jure Abbatis; uti & visitandi Monasterium, tamen Congregationi S. Mauri unitum, exceptis tamen locis Regularibus, disciplina Monastica, & personis Regularibus, quamdiu manebit in dicta Congregatione 3. Feb. 1648. Eodem arrecto decisum fuit, Parochiam dictæ Ecclesiæ Parochialis debere assistere Synodo Diocesanæ; inhibitionemque fuit dictis Religiosis excipere confessiones illius personarum secularium, aut ad eum effectum quemquam committere sine Episcopi approbatione.

Post hæc 18. Junii 1650. rursus intervenit sententia arbitraria inter Episcopum & dictum Monasterium, qua declaratum fuit, Ecclesiam Parochialem unitam dicto Monasterio esse pleno jure subiectam Episcopo in omnibus quæ concernunt curam Animarum; tamen illam exerceret per Priorem Clausuralem dicti Monasterii exempti vigore privilegii Congregationis S. Mauri.

Hæc latius referuntur in Actis Cleri Gallicani parte 1. tit. 2. cap. 12. Num. 19. & 20. Deinde n. 21. refertur, Archiepiscopum Viennensem manentem fuisse in jure visitandi in Ecclesia S. Antonii Ordinis ejusdem Sancti, Fontes baptismales, & Capellam seu Parochialem cum omnibus suis annexis, atque in his exercendi omnia quæ Curam Animarum spectant, sicut in aliis beneficiis curatis suæ Diocesis 17. Aprilis 1668. Et n. 22. idem iudicatum fertur pro Episcopo Ambianensi 5. Feb. 1664.

Uno verbo, nulla exemptio, nullaque incorporatio, aut vetusta consuetudo exire potest loca seu Regularia seu secularia qualiacumque à visitatione aut correctione Episcoporum; nisi unà Episcopalis auctoritas, & Hierarchica subordinatio penitus destruat; quemadmodum latius infra titulo de exemptionibus ostendetur.

X. Cum verò nihil sit, ut loquitur Synodus Tridentina Sess. 22. cap. 1. De reformat. "quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicaverunt; fat intelligitur, quantum oportet inter Episcopos, ut Clerici seu Seculares seu Regulares ita vitam suam coram populo componant; atque ita in omnibus se exhibeant, ut nihil nisi grave, modestum, ac religione plenum præ se ferant."

XI. Quapropter, ut id Episcopi facilius assequi possint, Synodus Sess. 6. c. 3. De reformat. declaravit, quod "nemo secularis Clericus, cuiusvis personæ, vel Regularis extra monasterium degens, etiam sui Ordinis privilegii prætextu, tatus censeatur, quò minus, si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato, secundum Canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat."

Hoc

Hoc Decretum rursus Sess. 14. cap. 4. De reformat. generaliter omnes Clericos concernere, nulloque prætextu restringi posse, declaravit. "Omnes Ecclesiarum Prælati, ait, qui ad corrigendos subditorum excessus diligenter intendere debent, & à quibus nullus Clericus per hujus sanctæ Synodi statuta, cuiusvis privilegii prætextu, tutus censeatur, quò minus juxta Canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi possit, si in Ecclesiis suis residerint, quoscumque quæ secularis Clericos, quolitercumque exemptos, qui alias suæ jurisdictioni subissent, de eorum excessibus, criminibus & delictis, quoties, & quando opus fuerit, etiam exuta visitationem, tanquam ad hoc Apostolicæ Sedis legati, corrigendi & castigandi facultatem habeant: quibuscumque exemptionibus, declarationibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordis, quæ tantum suos obligent auctores, ipsis Clericis, ac eorum consanguineis, Cappellanis, familiaribus, procuratoribus, & aliis quibuslibet, ipsorum exemptionum contemplatione & intuitu minime suffragantibus."

Quin & eodem motivo noluit Synodus vel ipsa Capitula Cathedralia ullo exemptionis aliove titulo à visitatione Episcopis esse libera.

XIII. "Capitula Cathedralium & aliarum majorum Ecclesiarum. (ait Sess. 6. cap. 4. De reformat.) illorumque personarum, nullis exemptionibus, consuetudinibus sententiis juramentis, concordis, quæ tantum suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quò minus à suis Episcopis, & aliis majoribus Prælati, per seipso solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis, juxta Canonicas sanctiones, toties quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari, etiam auctoritate Apostolica, possint & valeant."

Hoc Decretum tanquam disciplina Ecclesiastica retinenda ac restituenda summo opere necessarium renovat Synodus Sess. 25. cap. 6. De reformat. declaratque, Episcopum dum visitando procedit, nequaquam observare debere modum procedendi ibidem præscriptum; sed eum dumtaxat observandum esse, dum extra visitationem contra Capitula Cathedralia exempta procedit.

XIV. Quapropter refert Fagnanus ad Cap. UT JUXTA de offic. Ordinarii num. 38. Sacram Congregationem declarat, Episcopum posse visitare Capitulum Cathedralis per seipsum solum, nullis sibi Capitularibus adjunctis: imò posse assumere aliquos extra Capitulum omnes Capitularibus suis juxta dictum Cap. 4. Sess. 6. Concilii Tridentini, quam resolutionem ibidem pluribus probat.

XV. Quoad visitationem Monasteriorum tam virorum, quam mulierum circa disciplinam regularem interiorem & exteriorem multa statuit Synodus Tridentina; eaque alia circa exempta & non exempta; item diversa circa illa quæ alicui certæ Congregationi subiecta suos particulares Visitatores habent, & illa quæ nulli Congregationi sunt incorporata, nec speciales Visitatores hæcenus habent; de quibus infra, ubi de Monasteriis eorumque exemptionibus tractabitur: ibi quoque expendentur casus, quibus hodie etiam Monasteria exempta visitationi Episcoporum subint: & quæ in visitatione Monasteriorum præsertim Monialium inquirenda sint; & qua forma visitatio instituenda.

XVI. Synodus Tridentina Sess. 22. cap. 8. De reformat. declarat, quod "Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, in casibus à jure concessis omnium partium dispositionem, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, sint executores; habeant jus visitandi hospitalia, Collegia quæcumque, ac confraternitates laicorum, etiam quas Scholas, five quocumque alio nomine vocant, non tamen quæ sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia: elemosynas Montis Pietatis, five Charitatis, & pia loca omnia, quomodocumque nuncupentur, etiam si prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, acque eadem pia loca exemptionis privilegio sint minuta; ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pau-

peres sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo juxta sacrorum Canonum statuta cognoscant, & exsequantur: non obstantibus, quacumque consuetudine, etiam immemorabili, privilegio, aut statuto."

Verum cum certum sit, hoc Concilii Tridentini Decretum in tota sua generalitate in Belgio aliisque vicinis Provinciis non esse receptum; atque circa hanc Episcopi visitationem non esse idem statuendum quoad omnia hospitalia & loca pia; sed varium esse jus Episcoporum pro varietate Locorum & Superintendentium, idcirco de jure visitationis quod Episcopis competit in hæc loca, agitur parte 2. sub Titulo De Hospitalibus aliisque piis locis.

## CAPUT IV.

Quomodo in Visitazione procedendum; & quem effectum Decreta in Visitazione habeant?

- 1 Episcopi in Visitazione maxime intenti esse debent ad morum reformationem ex Decreto Synodi Tridentina.
- 2 In Visitazione non judiciali, sed paterno modo est procedendum.
- 3 Officium Visitatorum non male comparatur officio Adalium Romanorum.
- 4 Debent emendare qua jurisdictionem indaginem non requirunt.
- 5 In Visitazione imponi non possunt pœna ordinariæ.
- 6 Episcopus visitando processum formare non potest super excessibus non notoriis.
- 7 Decreta in Visitazione circa reformationem morum per appellationem non suspenduntur ex Decreto Synodi Tridentina.
- 8 Idem obinet jure Decretalium.
- 9 Neque in Gallia per appellationem tanquam ab abusu.
- 10 Principes nostri noluerunt Episcopum in Visitazione impedire prætextu jurisdictionis.
- 11 Jam pridem pro facilitate executione eorum qua in Visitazione ordinata sunt Ministri Regii Episcopus adjuncti fuerunt.
- 12 Hæc Ministrorum Regionum adjunctio non præjudicat Episcoporum auctoritati.
- 13 Nisi Regia auctoritas accedat, frequenter Visitaciones redduntur inutiles.
- 14 Interdum ordinata in Visitazione etiam per appellationem suspenduntur.

**S**ynodus Tridentina Sess. 24. cap. 10. De reformat. volens providere ne Prælatorum Visitaciones suo frustrarentur effectu; atque unà ut illæ ad mentem Ecclesiæ instituerentur, statuit: "Episcopi, ut apud quem regunt populum possint in officio atque obedientia continere, in omnibus iis quæ ad visitationem, ac morum correctionem subditorum suorum spectant, jus & potestatem habeant, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi, juxta Canonum sanctiones, quæ illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione, ac Diocesis suæ utilitate necessaria videbuntur. Nec in his, ubi de visitatione aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibito, appellatio, seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediatur, aut suspendatur."

II. Hoc Concilii Tridentini Decretum planè consonat Decreto Innocentii IV. in Cap. 1. §. Sanè De censibus in VI. ubi modum quem in visitatione Prælati observare debent ita describit: "Sanè hujusmodi impensurus officium (visitacionis) proposito Verbo Dei querat de vita



„vita & conversatione ministrantium in Ecclesiis & locis  
„aliis Divino cultui deputatis, ac ceteris, quæ ad officium  
„spectant absque coactione, & exactione qualibet jura-  
„menti, ad ipsorum subditorum emendationem per salu-  
„bria monita, non levia, nunquam aspera, juxta datam sibi à  
„Deo prudentiam diligenter intendentes. Quod si de aliqui-  
„bus orta fuerit infamia, contra eos Ordinarius ipsorum, ut  
„super his solemniter inquirant, denuntiet, si viderit expe-  
„dire. Notoria verò crimina, quæ examinatione non egent,  
„liberè corrigat. poenam debitam pro illis infligendo.”

III. Hinc conficitur, visitationem ad morum correctionem magis, quam ad judiciarium processum pertinere; ideoque officium Visitatorum non malè conferri cum officio Aedilium Romanorum, quod magis in lustrando & exequendo, quam cognoscendo consistebat. Si quid enim obivium esset quod politicam notoriè offenderet, Aediles è medio tolli, frangi, emendari jubebant, magis facti, quam juris tramitem servantes. Et hodie quid simile fieri videmus in visitandis per Magistratus & Pratores viis & aggeribus, qui si quid inveniant, quod notoriè vias publicas, aut aggeres impediatur, mox emendant ac corrigunt; vel emendandum aut corrigendum sine ullo iudicii strepitu decernunt.

IV. Itaque Episcopi aliique Visitatores in sua visitatione Diocesium circumire ac lustrare debent; & quidquid inordinatum repererint, reformant sine strepitu ac forma ordinaria iudicii, sed summarie, non penas ordinarias imponendo, sed correctiones, neque circa dubia & altioris indaginem requirunt, sed circa notoria versari potissimum debent; ut bene notat & probat Zypæus in Jure novo tit. de Accusar. num. 9.

V. Idem quoque refert, Sacram Congregationem Concilii Tridentini Interpretem respondisse 24. Aprilis 1595. “Episcopum non posse imponere in visitatione penas ordinarias, sed tantum extraordinarias, quæ magis morum emendationem & correctionem, quam delicti vindictam respiciant.”

VI. Et teste Fagnano Cap. DILECTUS. De rescriptis. n. 46. Sacra Congregatio 7. Feb. 1607. præcepit Episcopo Tornacensi, “Ut in visitatione Collegiatae Ecclesiæ exemptæ, contineret se intra limites notissimos visitationis, ita ut nec ad specialem inquisitionem descenderet, nec processus conficeret, nec sententias ferret; sed in his, quæ morum correctionem & emendationem respiciunt, sine strepitu iudicii decerneret.”

VII. Dum hos limites visitationis non excedunt Episcopi, ac unice morum correctionem ac emendationem intendunt, nulla exemptio, nulla appellatio aut querela executionis eorum, quæ ab ipsis visitando ordinata sunt, impedire potest ex Decreto Concilii; id est, appellatio effectum suspensivum in his nullum habet.

VIII. Quod & jam pridem in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. statutum fuerat, ut scilicet, correctionis & reformationis officium liberè valeant exercere. Cap. 13. De Offic. Ordin.

IX. Similiter refert Choppinus lib. 2. De Sacra Polit. tit. 4. n. 28. procuratoris live appellationis tamquam abusu interjecto non suspendi decreta concernentia correctionem morum. “Quod supra scriptum est, ait, provocationis interjectu ab executione sententiæ non superleberi in multis causarum generibus, id pertinet etiam ad eas fori controversias, quibus morum calligatio reformatioque agitur, Ecclesiastica disciplinæ vinculum. Nam hoc casu, ait, edixit Princeps noster, callidum appellationis perfrugium rei iudicatae executioni impedimento esse non debere. Lege judiciaria Francicæ I. an. 1339. & Caroli IX. lata 16. Kal. Majas an. 1571. art. 5. quam Ornatis. Curia solemniter comprobavit 7. Idus Septembris eodem anno. Quibus consonat Curia Decretum, ad quam in emendationis morum negotio fuerat provocatum, abusus nomine 5. Idus Decembris. an. 1550. secundum Cathalaunense summi templi Collegium. Eodem vergit Allobrogica Sanctio, ne ap-

„pellationis obtentu, quæ abusus ergò interposita sit, Eccle-  
„siastica morum censura correctioque retardetur.”

X. Idipsum quoque, uti monet Zypæus loco citato, Philippus II. Hispaniarum Rex expressit in Ordinationibus Parlamenti Mechliniensis tit. de Requesis art. fin.

“Sic & Princeps noster (ait Zypæus in Jure novo tit. de Accusationibus n. 9.) interpellatus ut Patronus Ecclesiæ Insulensis, nulla ratione induci potuit, ut Episcopus Tornacensis à visitatione excluderetur, sed si quid ordinando excederet, se querelas auditurum, ante paucos annos respondit.”

XI. Cum verò Episcoporum auctoritas, imò & Ecclesiastica censura ad emendationem vitiorum & abusuum, præcipue inveteratorum & longelateque grassantium frequenter non sufficiat, jam pridem in more positum fuit, ut Episcopi Ministri Regii, quos mediæ ætas Missos Dominicos vocabat, adjungerentur.

Dignum ac necessarium est, ait Synodus Moguntinensis an. 813. c. 20. ut Missi per quæque loca directi, “simul cum Episcopis uniuscujusque Diocesis perspiciant loca Monasteriorum, Canonicorum pariter & Monachorum, similiterque puellarum, si in apto & congruo loco sint posita, ubi commodum necessarium possit acquiri, quod ad utilitatem pertinet Monasterii, sicut in sancta regula dicitur. “Quod isdem verbis repetitur in Capitularibus Regum Francorum lib. 5. cap. 143.

XII. Nec id ad imminutionem seu depressionem potestatis Ecclesiasticæ, ad ejusdem usurpationem fiebat; sed ad faciliorem executionem eorum quæ Episcopi visitando pro morum correctione ordinanda censebant; protestantibus ipsis Regibus, ad hoc à se Missos esse constitutos, ut Episcopi eorum adjuvatori munus suum & ministerium facilius implerent; lib. 2. Capitular. cap. 26. ut si quos (verba sunt Concilii Arelatenensis an. 813. c. 17.) Sacerdotalis admonitio non flesteret ad justitiam. Regalis potestas ab improbitate reduceret ad pietatem & obedientiam.

XIII. S. & hodie aliqui subinde Regii deputati seu Missi Episcopis visitantibus essent juncti, atque eorum, quæ ad morum correctionem & emendationem Episcopi ordinarent, executionem Regia auctoritate urgerent, & firmarent, major indubie esset sæpius visitationum fructus; ordinataque firmiore ac stabiliore forentur effectum.

Hoc attendens Sebastianus Zamet Episcopus Lingonensis conquerebatur fructum suarum visitationum, & effectum ordinatorum contra Clericos incontinentes non haberi; eò quod frequenter eluderentur per appellationes tamquam ab abusu aliaque tegnas; ideoque resolvit ad obvianandum hujusmodi impedimenti petere à Parlamento Diensi, ut dignaretur assignare unum è Consiliariis Parlamenti, qui visitationibus suis assisteret, & exequi juberet ea, quæ contra Clericos incontinentes ipse in visitatione decerneret, ut refert Carolus Frevrius tractatu De Abusu lib. 3. c. 4. n. 7.

XIV. Quamvis summus sit visitationis favor, nequaquam tamen generaliter ac indefinitè recipiendum est, Decreta in visitatione per appellationem non suspendi; quoniam (ut rectè advertit Cardinalis De Luca Disc. 5. ad Concilium Tridentinum) “id percutit solum ea, quæ concernunt correctionem morum, aliasque provisiones, quas in forma extrajudiciali potius more prudentis Patrisfamilias promptè dare oporteat, vel congruat, non autem in iis, in quibus more iudicis, atque in figura seu forma iudicii procedi debet; cum tunc dispositio Canonum seu juris communis incorrecta remaneat; nihilque refert ad effectum appellationis, ac Ordinis iudicarii bene servandi, an de tempore visitationis, vel extra id fiat.”

## TITULUS XVIII.

## De Synodis Dioces. seu Episcopalibus.

## CAPUT I.

Quoties hæ Synodi celebrandæ, & qui intervenerint?

- 1 Primis Ecclesiæ sæculis frequentissima erant hæ Synodi
- 2 Labentibus sæculis bis annuatim haberi cœperunt.
- 3 Synodus Lateranensis annuam celebrationem admisit.
- 4 Mansit tamen consuetudo in aliquibus Ecclesiis annuatim bis celebrandi Synodos.
- 5 Synodus Tridentina annua celebratio fuit contenta.
- 6 Decretum Concilii Tridentini hodie non observatur.
- 7 Quam ex Decreto Concilii Tridentini Synodo intervenere debeant.
- 8 Regulares quantumvis exempti Curam Animarum exercentes Synodum accedere debent, & ab Episcopo cogi possunt.
- 9 Sufficit quod Beneficium situm sit in Diocesi, licet Beneficiarius habeat extra Diocesim.
- 10 Quam Synodo interesse debeant nullum dependet à consuetudine.
- 11 Probatur ex Synodis Belgicis.
- 12 Quam Synodo Diocesana S. Caroli inter venerint?
- 13 Sæpe contentiones oriuntur cum exemptis Regularibus an Synodo intervenire debeant.



Ristinis Ecclesiæ sæculis frequentissimos fuisse Episcoporum cum suo respectivè Clero, quasi cum suo Senatu, quem Presbyterium vocare solebant, Conventus, quos hodie Synodos Diocesanas dicimus, facti constat.

Neque primis sæculis hæce Conventus habendis certa tempora designata fuisse legimus, sed quancumque ardua quæque negotia occurrerant, Episcopus Senatui seu Presbyterium suum convocabat; ut simul super negotiis deliberarent. Hæc ex Epistolis S. Cypriani aliorumque Patrum manifesta sunt.

II. Labentibus verò sæculis harum Synodorum celebratio bis in anno haberi cœpit; creditumque fuit duplicem hanc celebrationem sufficere; eò quod Canones Synodum Provinciale in bis in anno celebrari juberent.

Deinde cum paulatim invaluisset, ut Synodi Provinciales singulis annis semel dumtaxat haberi deberent, unà quoque invaluit, ut Synodi Diocesanae semel annuatim haberentur. III. Et quidem Synodus Lateranensis sub Innocentio III. in Cap. 25. De accusat. hanc consuetudinem supposuit, & tacite saltem approbasse videtur. Nam jubens singulis annis celebrari Synodum Provinciale unà præcipit, ut “ea quæ statuerint, faciant observari; publicaturi ea in Episcopaliibus Synodis annuatim celebrandis.”

IV. Post hoc Concilii Lateranensis Decretum videmus in plerisque Conciliis injunctum fuisse, ut conformiter ad hoc Concilii Decretum Synodi Diocesanae annuatim haberentur; in aliquibus tamen Ecclesiis consuetudo remansit, ut juxta pristinam disciplinam bis annuatim haberentur; quam expressè supponit & probat Synodus Basiliensis Sess. 15. decernens, “Synodum Diocesana ad minus semel in anno, ubi non est consuetudo bis annuatim celebrari.”

Ita legimus in Concilio Colonienfi an. 1549. ordinatum fuisse, ut Diocesana quotannis bis, pro veteri more celebraretur; sed addit: “Suffecerit tamen in Diocesi Leonensi, propter ejus latitudinem & multitudinem Prælatorum semel quotannis rectè & studio ferventi celebrari.”

V. Synodus Tridentina tamen si frequentiorum Synodorum celebrationem pro reformatione morum desideraret, nihilominus amplexa moderationem Concilii Lateranensis, tantum annuam harum Synodorum celebrationem injunxit Sess. 24. cap. 6. De reformat.

VI. Verum nec hoc moderatum Concilii Decretum hodie observatur; cum nullibi annuam hanc Synodorum celebrationem fieri videamus; imò in multis Diocesis nec spatio quinquaginta & amplius annorum ullam Synodum celebratam; quæ verò sint causæ quæ ad hanc Synodorum intermissionem induendam contribuere poterint, in decursu notabimus.

VII. Qui his Synodis interesse debeant? ve his subsecutionibus indicat Synodus Tridentina: “Ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse debent, nec Capitulis generalibus subdantur, accedere te- neantur; ratione tamen Parochialium, aut aliarum sæcularium Ecclesiarum, etiam annexarum, debeant illi, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse.”

VIII. Vi hujus Decreti Regulares omnes five sint exempti live non, qui vel Capitulis generalibus non subdantur, vel curam animarum exercent, tenentur & cogi possunt ad Synodum accedere sub pœna privationis vocis activæ ipso facto incurrenda, aliisque pœnis arbitrio Episcoporum etiam excommunicationis: adeo ut jus declarandi, & pœnas imponendi ad Episcopos, exemptione non obstante, pertineat, quemadmodum S. Congregatio apud Fagnanum ad Cap. QUOD SUPER. De majorit. & obed. n. 8. declaravit.

IX. Ut verò quis ratione Beneficii Synodo interesse cogatur, attendendum est num Beneficium tale habeat in Diocesi cujus Synodus agitur, tamen si alibi domicilium habeat; & ita in terminis declaravit S. Carolus in Synodo Mediolanensi V. parte 3. tit. Qua ad Synodum attinent.

X. Præter Curam Animarum exercentes, qui Synodo assistere debeant, non ex Canonum sanctionibus dumtaxat, sed & varia locorum consuetudine petendum est.

XI. Quare in Synodorum Belgicarum indictione videmus generaliter vocari Capitulum Episcopale, Reverendos Dominos Abbates, Abbatissas, Præpositos, Archipresbyteros Rurales, Priores, Priorissas, cæterosque omnes, qui de jure vel consuetudine Synodo Diocesana interesse debent.

Hæc ex convocazione Synodi D. Mechliniensis sub Hovio. In formula indictionis Synodi Antverpiensis sub Miræo præter expressos in dicta formula Mechliniensis, exprimitur, Capitula Ecclesiarum Collegiatarum, Pastores, Pastorumque Deservitores. In convocazione ultimæ Synodi Namurcensis an. 1639. formula Mechliniensis servata est; eo solo excepto, quod Capitula Ecclesiarum Collegiatarum nominatim exprimitur.

Synodus Namurcensis anno 1639. t. 26. c. 1. cum pro annua Synodi Diocesanae celebratione designasset feriam tertiam post Dominicam Jubilatè, quæ est tertia post Pascha, subiungit: “Eapropter omnes qui jure, vel consuetudine illi interesse debent, illo die deinceps compareant.” Quæ manifestè supponit, Patres illius Synodi non dubitasse, quin à consuetudine dependeat, qui Synodo interesse debeant; quod & S. Carolus in sua Synodo V. Mediolanensi supposuit.

XII. Qui Diocesani sub Sancto Carolo interfuerint ex ejus ad Clerum oratione in ejus Synodo XI. Diocesana habita colligere possumus. Ita enim ad Synodum loquitur: “Quid agimus, Fratres? Synodum agimus, & quid Synodi